

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

33

IN NOMINE JESU  
PERSONÆ admirandæ!  
EXERCITIUM ACADEMICUM  
De  
PERSONA,

Quod  
Sub gratiosis DEI *θεϊου μεγαλειου* auspiciis,  
*In illustri Serenissimorum Saxonie Ducum Athenæo*

SALANO,  
SUB FAVORABILI PRÆSIDIO  
DN. M. GOTTFRIDI ZAPFFII,  
Philosophiæ Professoris Extraordinarii,  
Fautoris & Præceptoris sui co-  
lendi,

*Publicæ disquisitioni submittit*  
JACOBUS ZABLERUS,  
Bartphâ-Ungarus.

AUTOR.

*Ad diem Maji.*

---

JENÆ  
è Grammatographéo NISIANO.  
ANNO MDCLX.

27

hab. III. 2113







Cum DEO!

## Ut fert Areopagitarum Lex,

Ἄνευ προσώπων.

§. I.

**L**Aurentius Valla, cū sectaretur originem ac significationem vocis Personæ, non erubuit affirmare contra Boëthium eam non esse substantialem, sed duntaxat aliquam significare qualitatem, ut videre est Lib. 6. Elegant. c. 35. Verū in hoc paucorum obtinuit calculum, quin potiùs plerique vocem eam substantiæ, Homini scilicet in se considerato, tribui posse dicant. Et quidem rectè. Licet enim diffiteri possit nemo, vocem citatam significationem Laurentianam obtinere nonnunquam, ut cū apud Cicer. lib. 2. de orat. dicitur: *Sustineo tres Personas, meam, adversarii & iudicis*; Alteram tamen acceptionem etiā suos graves invenire Patronos fatendum est non minùs, ita quidem, ut utramque de prærogativa, utra sit famosior, adhuc certare credam. Valer. M. L. 2. c. 21. quoslibet homines vocat Personas. Ipse Cicero in eodem lib. cit. *hominum innumerabiles dicit esse Personas*. Plinius Epist. 305. *contrahi dicit Personas ad aliquod negotium*. Quæ certè & alia, quæ omnia adducere jure supersedeo, loca satis ostendūt, Personas notare ipsos homines, horumq; substantias. De etymologia si quæras, alii sunt, quibus *Persona* dicitur, quasi *per se sonans*, è quibus citatur Gellius ut & Lombardus 3. d. 10. ubi animā rationalē negat esse Personam, quia non sit per se sonans, sed alii cōjuncta. Hos alii refutant ex differentia quantitatis, præter hoc, quòd ea derivatio satis longè videatur petita & vix aliqualem exhibeat allusionem. Iterum alii græcam eidem tribuunt originē, quasi dicatur *πρὸς ὄν* cinctū quid vel etiam *πρὸς ὄμα*, quia primitùs personæ vocatæ fuerint, qui alios repræsentarent

rent in comœdia, ad quem finem cincturæ & velamina fuerint adhibita. Sed etiã hęc allusio, cùm vulgare illud vitium, quod vocum, si modo sono quodammodò convenient, unam ab altera deducere gestit, sapiat, meritò deseritur, præsertim cùm in univèrsum hoc vocabulum ex Græcia oriundum videri vix possit. Græci enim cùm de mysterio Trinitatis agerent, ubi Latini Personæ termino utebantur, adhibebant vocem *ὑποστάσις*. Cùmque ad majorem consensum evitandosque Arrianorum in illo termino lusus cum Latinis eodem modo loqui vellent, dixerunt tria *πρόσωπα* esse in divinis. Si igitur Personæ terminus græcus esset, illum, quòd sic cõsensus ac cõformitas adhuc major fuisset, retinuisset ipsum. Si verò conjecturari licet, forsan *Persona* dicitur quasi *per se una*, quod certè ad rei ipsius naturam longè accedit propinquiùs.

§. 2. Sed veniat unde velit, notetque alibi, quidquid placet, per Personam hęc vice intelligo tale quid, quale est homo sicuti Petrus, ulteriusque noto, sicut in reliquis distingvuntur subjectum & forma, ex quibus ea dicuntur concrevisse: ita etiã in voce Personæ aliud esse subjectum, aliud formam per quam illud subjectum fit Persona, nempe personalitatem. Quemadmodùm igitur homo quandoque sumitur abstractivè pro ipsa humanitate, per quam homo est & fit homo, ut cum dico: homo est species; quãdoq; pro toto homine ex humanitate & subjecto hujus constante, ut cum dico: Homo est animal. Eãdem ratione etiã Personæ vox sumitur quandoque *pro personalitate*, per quam natura fit suppositum seu Persona, quandoque verò pro tota re ex suppositalitate ac natura constante; quæ duæ acceptiones probè ac utilitèr distingvuntur, priusquam ad alia fiat progressus.

§. 3. In Lingua Latina personæ vox vix habebit synonymam, uti nec personalitatis. *Suppositum & suppositalitem* quod spectat, ea se habent ad *Personam & personalitatem* ut latiora ad angustiora. Communiter enim conveniunt auctores in hoc, quòd Persona tantùm involvat intellectualem seu rationalem naturam, qualis est homo; suppositum verò se extendat etiã ad irracionales, sive sint sensitivæ sive insensitivæ, sive animatæ sive inanimatæ, quales sunt bruta, arbores, lapides, &c. quæ omnia ridiculè quis vocaret personas. Multò minus individuum & substantia pro  
syno-

synonymis Personæ sunt habenda, quæ non solum latius patent personâ, sed ipso quoque Supposito. Perperam igitur statuit Goslavius à Bebelno Socinianus in refut. Kekerm. c. 2. *Reciproca esse incommunicabile* (quale est suppositum) & *individuum*, ut in sequentibus cum ad examen Boëthianæ definitionis perventum fuerit, videre erit. In græca vero Lingua τὸ πρόσωπον æquipollet Personæ. Ebræi, quos nos tres personas, שלשה הגופים dicunt. Quod attinet ad ὑπόστασις (quam Græci etiam modò concretivè sumunt, modò abstractivè) itemque ὑφιστάμενον certum quidè est, quòd quando ea applicantur S.S. Trinitati, per ea inferre & denotare velint Trinitatem Personarum, id quod etiam fit rectissimè, cum ubicunque suppositalitas ostendi potest in natura intelligente, necessariò ibi sit persona; accuratè tamen synonyma non sunt, sed solum cum supposito & suppositalitate pari ambulant passu, quæ Personæ & Personalitatis synonyma nõ esse jam ante dictum est; Quia scilicet hæc in suo conceptu plus important, ac sine intelligibilitate sive rationalitate concipi vix possunt.

§. 4. Ut ad definitionem descendamus, communiter recensetur, quod Severinus Boëthius Personam primus definiverit, id quod ipse & simul occasionem definiendi eam enarrat in lib. de duabus nat. & una perf. Christi c. 17. hoc modo: *Quòd cum lecta esset Epistola Concilii Chalcedonensis, Christum esse unam Personam, & in illa persona duas esse distinctas naturas, se interrogasse quid esset discriminis inter naturam & personam, & omnes quidem clamasse de Persona & naturis, neminem vero potuisse assignare, quid esset Persona. Se ergo hac occasione investigasse aliquam Personæ definitionem: Quòd Persona sit natura rationalis individua substantia.* Verum hæc definitio licet ab aliquibus, Zacharia Chrysopolitano ac Leontio retineretur, non tamen ab omnibus per omnia approbata ac recepta fuit, quin potius eam multi accusarunt ob duplicem causam: (1.) quòd quoddam, quod vera persona sit, sub ea non comprehendatur (2.) quòd quoddam sub ea comprehendatur, quod tamen Persona non sit. Primum patere volunt ex Angelis & DEO, in his enim Personas esse negari nequit, tamen sub ea definitione non comprehenduntur, quia illi omnes, uti etiam DEUS, non sunt rationalis naturæ. Rationale enim non dici voluerunt, nisi quod in-

telligit per discursum, adeoque intellectu successivâ, successione tali, quæ fiat à noto ad ignotum. Substituendam igitur dicunt vocem generaliore nempe naturæ intelligentis. Secundum quod attinet, dicunt explicari debuisse formalem personalitatis rationem, quâ omnia excluderentur quæ Personalitatem seu suppositalitem non haberent, hoc verò non esse factum. Si enim ullum in ea definitione verbum id præstare debuisset, laud dubiè vocem substantiæ individuæ id sibi proposuisse. Sed neque ab hac id fieri posse probant, quòd dentur individuæ substantiæ, quæ neque supposita sint, neque Personæ. e.g. Essentiam divinam singularem esse, tamen non esse suppositum seu personam, Item animam rationalem esse hanc individuam substantiam, tamen non esse suppositum vel Personam; præter alia multa individua ἀλογα quæ substantiæ individuæ dici possint, verèque non sint supposita.

§. 5. Hisce rationibus moti nonnulli addiderunt ad definitionem Boëthianam vocem *incommunicabilitatis*, proq; naturali substituerunt vocem intelligentis, hoc modo; quod Persona sit naturæ intelligentis individua substantia incommunicabilis. Hi vero iterum sunt in duplici differentia. Nonnulli volunt vocem hanc jamtùm in termino individuitatis contineri, eamque solùm tanquam explicationem addi prioris, quâ in sententia fuit Richardus, primus ejus additamenti, ut communiter dicitur, autor, quem inter recentiores sequitur Poncius Scotista. Alii addi eam dicunt tanquam correctivam, corrigentem scilicet insufficientiam definitionis, ejusque latitudinem constringentem ob causas ante allatas. Sed quid ad hæc Goslavius *Definitio hæc* (loquitur de præcedente) *recta est, inquit, si incommunicabile expungas. Quorsum enim ponitur incommunicabile, cum sit positum individuum. Reciproca sunt incommunicabile & individuum.* Hæc contra Kekerm. Deinde in disp. de Persona contra D. Jac. Mart. c. 2. dicit. *Quòd quidam opponunt incommunicabilitatem esse prætermittam à Boëthio & rationale angustius patere, quam ut omnibus personis competat, de verbis potius quam de re litem instituere mihi videntur, quippe quod non animadvertant Boethium substantiæ individue nomine completam substantiam intellexisse, cujusmodi est Socrates, Plato, Bucephalus &c. substantiam dico omnium absolutissimam*

nam per se subsistentem, nec aliunde dependentem, quam videlicet  
autor Categoriarum substantiam primam vocat, Philosophus nunc  
ultimum nunc primum subjectum. Idem rationale tam latè sumpsit,  
quam latè patet illa facultas quâ à brutis & ratione carentibus ani-  
mantibus distingvimur. Cum autem distingvamur non minus facul-  
tate quæ sine discursu cognoscit, quam potestate discurrendi, non minus  
illam quam hanc Boethius rationalis voce complexus est.

§. 6. Ut verò, quid de his omnibus sit sentiendum, fiat evi-  
dens, sciendum est, definitionem Boëthii prout jacet explicari pos-  
se dupliciter: (1.) Concretivè scil. ita acceptam, tum ratione defi-  
niti, tum substantiæ individuae, quæ in definitione illa existit, ut  
scilicet per personam id, quod personalitatem habet intelligatur,  
& per substantiam individua, res individua subsistens (2.) Ab-  
stractivè, ut definitum notet personalitatem seu formalitatem per-  
sonæ, & casus rectus in definitione, nempe substantia individua  
notet subsistentiam seu modum suppositi per quod suppositum est  
suppositum. Jam dico (1.) Illos qui dicunt eam definitionem Boëthii  
ex ejus intentione esse concretivam & hac ratione eam approbant  
non videntur satis assequi scopum ac mentem Boëthii. Quod  
enim Boëthius personam non definierit concretivè patet; Quia  
(1.) τавтоλογία insignem committeret, si per substantiam in-  
telligeret substantiam categoricam seu prædicamentalem &  
deinde eandem vocem iterum repeteret, quod etiamputat Gos-  
lavius Disputat. de Person. c. 2. part. 1. quod vix probabile est  
de tanto viro λογικωτάτω (2.) Circumstantiæ repugnant. Boëthius,  
enim respexit ad terminos græcos in hac definitione, ὑσία nempe  
& ὑπόστασις, quorum illum Latini vertere soliti sunt per natu-  
ram seu essentiam, hunc verò reddiderunt per substantiam. No-  
tum vero est, quòd ὑπόστασις Græcorum etiam abstractivè sumatur,  
præsertim cum naturæ seu ὑσία opponitur. Imo ulteriori testimo-  
nio quid est opus, audiamus solum ipsum Boëthium, qui paulò  
post suam definitionem addit: Unam esse dicimus ὑσία & ὑσιώδη  
Deitatis, sed tres ὑποστάσεις. Et quidem secundum hunc modum qui-  
dam dixere unam esse Trinitatis essentiam & tres substantias; & pau-  
lò post: Natura est cujuslibet substantiæ specifica proprietas. Perso-  
na vero natura individua subsistentia. Hic non solum substantiam  
per

per subsistentiam exponit, sed etiam dùm unam naturam dicit solum & tres hypostasies, patet quod hypostasibus naturam opponat, & hypostasim quid naturæ s. *ἁπλοῦς* velut adjacens dicat.

§. 7. Dico II. *In Concretivo sensu non satis benè positam esse, nec approbandam definitionem sub hisce verbis, quibus Boëthius usus est.* Etiam si enim quis verba tandem torqueat, ille nondùm probat Boëthianam definitionem, sed quæritur adhuc an etiã Boëthius eã mente posuerit verba? Deinde, sit quod Boëthius per substantiam individuum hoc vel illud intellexerit, nondum tamen bona est definitio. Nam posset quis definire Hominem, quod sit lapis rationalis & sub lapide intelligere hominem, & tamen illa ratio definiendi non esset bona, cùm ad bonam definitionem non solum requiratur ut sensus ratione sit bona, sed clara etiam esse debet aliis; Hinc ridetur Plato, qui oculum ciliumbrem definebat satis obscure, etiam si verè competat oculo, quod ille per hanc vocem intellexit. Sed hæc vox *substantia individua* nequaquam notat incommunicabilitatem. Conceptus enim vocis *individui* importat negationem divisionis in plura inferiora sub se contenta; incommunicabilitas verò importat negationem communicabilitatis cum alio, quin, quod suprã ostensum est, multa dentur individua, quæ tamen nequaquam sunt incommunicabilia, quod adhuc pluribus ostendi posset, nisi id accuratissimè jam tùm præstitisset Dn. D. Jac. Mart. lib. 2. de Trib. El. c. 6. n. 45. Rationalitatis vocem quod spectat, cum in sua famosiori significatione differentiam hominis specificam notet, dubito certè, an convenientèr ponatur hæc in definitione Personæ, quippe quæ, ut aliis speciebus Entium communis, definitur. Et licet Goslavius hanc litem, ut de termino rejiciat, non tamè ea lis est vana, tùm, cùm de legitimo modo significandi rerumque naturas definiendi ratione agitur. Quin quòd ita definiendes nihil aliud agant quam ii Pictores, qui res ita depingunt, ut quid pinxerunt, appensâ schedulâ significare opus habeant. Non possum autem non notare, quam ineptè hanc rem explicet & hanc vocem excuset in suprã allatis ejus verbis. Ut enim hæc testantur, sensus eorum est, quòd vox rationalis non possit carpi, quia non sola rationalitas, sed tota facultas Hominis intelligatur, quam latè se ea extèndat in homine: quasi verò ratio homini  
pro-

propria malè tribuatur Deo sive illi, quod Deo est commune, per hoc, quod non tribuatur sola, sed aliæ simul hominis proprietates. Sic dicens Hominem esse lapidem, id etiam defenderem, quòd lapidem fumerem non solum ratione irrationalitatis, sed etiam ratione corporeitatis, quæ utique homini etiam conveniat. Sed quis sanus ita? Tandem si substantia individua sumatur pro substantia completa incommunicabili, hoc tamen arguendum esset ad minimum, quod vox naturæ in casu obliquo superfluè adderetur, cum nec faciat ad declarationem nec ad necessitatem, nec ad aliud quid, quod non in prioribus contineatur.

§. 8. Dico III. *Si Persona in definitione Boëthiana sumatur abstractivè, substantia pro subsistentia & natura pro essentia, que suppositatur seu personatur per subsistentiam, prout quidem hæc omnia sumi dictum fuit, & si demum vox individuitatis tollatur, que videtur esse superflua, definitio Boëthii est accuratissima, quanquam dici possit, in re tam abstrusa, ardua ac difficili definientibus exprobari non posse, si declarationis ac majoris lucis causâ quid addant, quo absolutè non erat opus. Qua de causa quidam addunt vocem incommunicabilitatis ad subsistentiam, quod quidam eum in finem factum malè carpit Goslavius loc. cit.*

§. 9. Quia verò Personalitas sine natura Personata ab humano intellectu tanquam modus sine re & tanquam præsentia Petri sine Petro vix intelligi potest, usitatio semper fuit modus definiendi personam concretivè acceptam. Prospiciendum igitur & hîc de bona ejusmodi definitione. Si  $\alpha\Phi\iota\lambda\omicron\sigma\sigma\omicron\Phi\omega\nu$  Photinianorum ingredimur Scholas, Goslavius aliique talem proponunt definitionem: *Persona est substantia prima intelligens.* Et parte I. cit. disp. de Persona c. 3. *substantiam* Goslavius dicit *non aliter se habere in ratione Personæ, quam se habet Homo in constitutione Hominis, aut Corpus in constitutione animalis*: Et cap. 4. formans statum controversiæ *utrum substantia eo modo ingrediatur Personæ definitionem, quemadmodum ea que in primo dicendi modo per se prædicantur, definitionem subjecti ingrediantur, hoc est, an sit verum Personæ genus, quod quidem in sequentibus defendendum suscipit.* Sequitur Goslavii mentem Crellius Lib. 2. de U.D.P. sect. I. c. 4. vultque substantiam de Persona tanquam superius prædicari de inferiori. Probat

B

etiam

etiam hoc inductione omnium, qui personæ dicuntur, ex quo sequatur Personam respectu illorum omnium quid transcendens esse. Sed certè absurda hæc sunt in Philosophia omniaque principia turbantia; præterquam enim quod novam divisionem inferant prædicamento substantiæ, negari non potest, personalitatem esse modum essentiæ constitutæ supervenientem. Jam vero quis hominum dixerit modum extra-essentialem contrahere rem tanquam verum & propriè dictum genus ad speciem, prout se habet animal ad hominem? Quis unquam dixit substantiam primam esse genus propriè dictum, individuum esse universale? Certè si res est genus in respectu ad concretum de modo superveniente, quidni amplificatur prædicamentum substantiæ per divisionem ipsius in præsentem & absentem &c. Quod vero id, per quod persona est persona, sit modus superveniens, negari non potest, quia explicari non potest sine mentione eorum quæ dicunt non quid res sit, sed quomodo se habeat. Hinc ipse Goslavius definiens Personam vel potius approbans Boëthii definitionem dicit *substantiam individuum esse completam substantiam, absolutissimam, per se subsistentem, nec aliunde dependentem, quæ certè ultima dicunt quomodo res seu substantia illa completissima ac absolutissima se habeat & existat.* Quod ad Crelli inductionem attinet, comittit ille Ignorationem Elenchi. Neque enim negatur Personam esse substantiam, adeoque hanc esse commune prædicatum omni Personæ conveniens, probare igitur non necessariæ erat operæ. Sed quid exinde sequitur? Non omne enim quod de aliquo prædicatur quocumque modo, statim tanquam verum & propriè dictum ipsius genus prædicatur, alias contra ipsos citatos autores inferrem, & intelligens sive intellectu præditum esse verum Personæ genus, cum etiam de Personis divinis angelicis & humanis dici possit quod sint intelligentes. At vero illis ipsis & intelligens non est genus sed differentia. Nec habet Goslavius, ut objiciat: omnes nostrates tam Theologos quam Philosophos uti substantiâ vice generis cum Personam definiunt, quod idem etiam in hac ipsa disputatione fiet infra ubi vera Personæ proponetur definitio. Nam ex hoc ille non accipit patrocinium pro sua causa. Quamvis enim ab orthodoxis substantia loco generis adhibeatur & tribuatur Personæ in casu  
recto,

recto, exinde vero colligere lubricum est, eos quoque substantiam pro vero Personæ genere habuisse sive adhuc habere, pro tali scilicet, quale est animal respectu hominis, quod quidem faciunt citati Autores: quin potius solum ideo substantiam in Personæ definitione (quod concretiva est) posuerunt, ut exprimant subjectum personæ & id quod se habet per modum generis, nequaquam vero quod sit ipsum genus tale quidem, quale est animal respectu hominis. Deinde accusari etiam potest ea quæ sub incude jam est, definitio, quod sit insufficiens propterea, quod etiam competat animæ rationali separata. Quod enim ea sit substantia prima patet, quia ea est idem quod individuum, animam vero rationalem etiam esse individuum seu singulare quis est qui eat inficias? Nec possunt se auctores hujus definitionis excusare, concedendo animam rationalem esse in statu separationis Personam, cum sit incompleta, incompletum vero quid esse Personam, est contra eos ipsos, qui personam definiunt per substantiam primam se intelligere dicunt substantiam absolutissimam & completam. Nec effugiunt culpam, negando, quod terminus substantiæ primæ animæ separatae competat, quia per eum terminum intelligant ut modo dictum, substantiam primam completam. Nam certè si hæc definitio: Homo est animal bipes non est bona; ita etiam nec illa de qua hîc est controversia. Quod enim non sit bona quilibet affirmabit, quod pateat plus quam par est. Si respondeat quis, per animal bipes intelligi animal rationale, ille rideretur, cum in definitione termini non sint ponendi pro stulto hujus vel illius cerebro, sed quo communiter sumuntur modo. Jam verò substantia prima ex suo communi conceptu non notat præcisè substantiam completam, sed substantiam individuam quæ nec in subjecto sit nec de subjecto ullo dicatur, quæ est definitio Autoris Categoriarum, quam ipse Goslavius in verbis supra cit. se observaturum dicit. Subsumatur jam de anima separata, omnia hæc ipsi competent; Ergo erit substantia prima, ergo comprehendetur sub definitione, ergo comprehendetur sub Persona aliquid secundum hanc definitionem quod Persona non est, ergò definitio est vitiosa. Nec spero dicturum quem piam animam separatam excludi per  $\text{r}$  intelligere, ni si eo ipso velit probare se intelligere nihil.

§. 10. Nostrates quod attinet, illi quoad rem ipsam unam, quoad modum verò proponendi diversas proponere solent definitiones, nempe quod *Persona sit substantia individua intelligens incommunicabilis* item qui breviores esse volunt, dicunt; *quod sit suppositum intelligens*. Ubi solum hoc velim notatum, quod prior modus, quantum ad præsens, sit accuratior. Licet enim, ut dictum, etiam posterior quoad rem ipsam cum priori dicat idem, licet etiam naturam & conceptum Personæ sufficienter sistat, modus tamen ad Leges definiendi non omninò quadrat. Hoc ut ostendam, suppono (1.) ex concessione omnium, quod Persona sit concretum tale quod se habeat per modum concreti accidentalis (liceat mihi hoc termino uti, quem modò explico sufficienter) ubi nempe concreverunt natura intelligens & superveniens huic hujusque essentiæ modus per quem illa contrahatur ad esse personæ. (2.) Quod concreta ex subjecto & adjuncto seu ex re & omni forma seu modo, qui rei extraessentialis est, eique in actu essentiali constitutæ supervenit, ita sint definienda ut loco generis ponatur subjectum & loco differentię forma seu modus: sicut unum definitur quod sit *Ens indivisum, risibile quod sit Homo potentiam ridendi habens*. (3.) Quod in posteriori definitione quæ Persona definitur *suppositum intelligens*, τὸ intelligens ponatur loco differentię, τὸ suppositum loco generis. Hisce præmissis ac suppositis patet ultrò, non satis accuratè personalitatem seu rationem formalem Personæ poni loco generis. Nec minùs τὸ intelligens non esse differentiam specificam vel quasi differentiam, cum sit quid pertinens ad id quod subit vicem generis. Et hoc ipsum est quod innuunt aliàs plerique, quando τὸ intelligens esse dicunt conditionem Personæ materialem ut Jac. Mart. lib. 2. c. 7. de Trib. El. p. 47. Fieri potest argumentum hac de re: In quacunque definitione id quod definito cum iis, à quibus distingvendum est, per definitionem est commune, ponitur pro differentia, ibi malè instituitur definitio. Atqui in hac definitione τὸ intelligens quod etiam incompletis entibus nempe animæ rationali, à qua tamen per definitionem persona distingvenda erat, est commune, ergò τὸ intelligens male ponitur in definitione. Et hoc quidem maximè etiam urget Photinianos citatos, alii enim tandem negare possent suppositionem tertiam

tiam antea factam. Hi verò disertè affirmant τὸ intelligens veram esse Personæ differentiam. Notantèr autem dictum supra, hanc definiendi modum *quoad presens* non ita esse accuratum, puta ubi primariò modus personalitatis est explicandus, cum quod persona sit suppositum intelligens, hic clarum & concessum sit. Quare etiam Goslavius contra Kekerm. fatetur *quod omnis Persona sit intelligens hætenus nemo dubitavit*: part. 3. cap. 2. p. 18. Hoc ut dextrè ab omnibus intelligatur Dico 1. eum qui definiturus est personam, duplicem posse habere intentionem 1. ut explicet naturam & conceptum ipsius, quatenus persona contradistinguitur naturæ seu rei illi, quæ ut imperfecta per personalitatem completur, & quomodo persona ab ea differat. 2. Ut definiat eandem quatenus opponitur aliis suppositis ratione seu intelligentiâ destitutis. Res declarari potest exemplo. E. g. Causam principalem potest quis definire vel ea intentione ut explicet conceptum causæ, vel ut explicet conceptum principalitatis. Dico 2. Eum qui definit, illius conceptum debere per differentiam potissimam exprimere, quod hac vice definire intendit e. g. si causalitatem causæ principalis vult explicare, dicit: causa principalis est causa, quæ influit virtute non ignobiliore &c. Si vero principalitatem, dicit, causa principalis est quæ primariò requiritur ad effectum sive à qua primariò dependet effectus, ita ut debeat verum influxum præstare & per eum effectum producere. Hisce præsuppositis rectè quoque dicitur. Persona est intelligens subsistens seu incommunicabile. Cæterùm, quia, uti dictum, persona (cum de intelligibilitate non sit dubium) maximè hic definienda est quoad modum per quem differt à rebus incòpletis & non-subsistentibus, patet quod hîc melius τὸ subsistere ponatur loco differentiæ. Priorem definitionem communem quod spectat, si quis ipsi dicam scribere audeat, quod genus sit complexum, nempe substantia individua intelligens, ille necessitati succurrat & prius unam vocem adferat, quæ omnia hæc contineat & æquè clarè tradat: quin quòd sciat licitum esse ponere definitionem loco definiti præsertim in re tam ardua & ex ipsis mysteriis eruta.

§. II. Approbatâ definitione Personæ communi consequens est ut ea ulterius explicetur. Ubi quidem tria sunt notanda 1. Cur dicatur natura individua & quid ex hoc fluat 2. quid propriè sit

incommunicabilitas. Nam definitionem quoad terminos tandem admittunt Photiniani sed falsum sensum habent, id quod patet ex verbis Goslavii supra cit. quando eos qui incommunicabilitatem addunt, solum litem de termino instituere dicit, quippe Boethius sumserit pro tali substantia completa, quam nos incommunicabilem dicimus, quod quidem innuit rem ipsam in definitione illa, quam ipse approbat, contineri 3. Quomodo ingrediatur definitionem suppositi seu Personæ incommunicabilitas, an tanquam primus conceptus Personæ, an tanquam quid consequens. Primum igitur quod spectat, dico *per substantiam intelligi ipsam naturam, quæ per personalitatem personatur, per naturam autem seu abstractum* hoc loco non esse *intelligendum conceptum metaphysicum* per mentis nostræ operationem abstractum, qui alio nomine conceptus universalis seu forma metaphysica vocari solet; sed potius *substantiam primam singularem ac individuum*: Notat nimirum in homine ipsam essentiam ex materia & forma compositam, tanquam ex partibus Physicis, quâ ratione etiam Theologia hoc termino naturæ utitur, cum Filium DEI humanam naturam assumpsisse dicitur. Errant igitur Photiniani, qui ad sophisticaciones suas hac voce abutuntur. Item per substantiam & naturam dico intelligi completam nempe essentialitèr, per quod excluduntur omnes partes, anima v. g. rationalis. Quamvis enim quidam eam dicant suppositum incompletum, chimæricè tamen loqui videntur æquè ac qui diceret Equum rationalem.

§. 12. Quod ad *Incommunicabilitatem* spectat, res sane est difficillima & magis obscuratur, quando multi eam tam confuse proponunt, & quæ jam distingvenda dicam prius non distingvunt. Advertendum igitur est aliud esse 1. *An Personæ seu supposito competat incommunicabilitas.* 2. *Quæ incommunicabilitas sit propria Personæ & ex personalitate fluat tanquam proprius ac formalis ipsius effectus, quoq; sensu sumatur in definitione?* De priori prius. *Communicari* alii ut Svarez, ait *est uniri cum alio*. Hoc iterum potest intelligi vel absolutè vel cum appposito. Absolutè certè denegare Personæ incommunicabilitatem cum alio, contra rationem est, & contra Fidem. Uniri enim quodammodò possunt dici etiàm, quæ sunt in eodem loco. Et ut de majori unione loquar, aqua & vinum  
possunt

possunt miceri. Imò ut proferam maximam, personam secundam  
Divinitatis cum humana natura cunitam esse docet Fides. Certæ  
igitur restrictiones quærendæ erunt, quæ incommunicabilitatem  
illam limitent. Sed verbo tibi rem totam sistam: *Persona quamdiu  
talis est, incommunicabilis est, ita ut non possit uniri cum Persona alia  
ad constituendam tertiã, nec ulli alii à quo dependeat ac compleatur in  
subsistendo.* Quod quoque verum est de suppositis. Dicitur 1. *Quam-  
diu talis est.* Nam si natura humana subsistentiam suam amittat,  
communicari eam posse & jam communicatam Personæ Filii Dei  
docet Fides. Et hac ratione quidam dicunt etiam suppositum salis  
posse communicari aquæ, quia per resolutionem salis etiam amit-  
tat suam propriam subsistentiam. Svarez quidem Disp. 34. sect. 5.  
n. 59. dicit ejusmodi substantiam non amittere subsistentiam, sed  
solum terminum. Verum eam subsistentiam, per quam suppositum  
fit suppositum, non amitti vix concedimus, erratque Svarez, quòd  
tò subsistere in hac doctrina sumat, prout competit substantiæ in  
genere, & prout negat incommunicabilitatem inhætionis, in quo  
quidem etiam ab aliis Scholasticis deseritur meritò. Dicitur 2. *cum  
Persona alia,* quæ explicatio valde est communis & hac ratione  
non est mirum potuisse λόγον assumere naturam humanam.  
Ratio est, quia duas personas uniri ad constituendam unam æque  
chimæricum est ac in arithmetica duas unitates esse unam unita-  
tem. Unam vero personam & naturam alterius, unam constitue-  
re Personam quomodo implicet, non videmus. Ubi tamen distin-  
guenda adhuc, 1. *duas personas uniri ratione essentia,* & 2. *duas per-  
sonas fieri unam personam,* inferiùs enim dicam infinitam essenti-  
am pluribus subsistentiis ac personalitatibus determinari ac perso-  
nari posse. Dicitur 3. *Nec ulli alii à quo dependeat in subsistendo.*  
Implicat enim contradictionem ultimo terminatam & comple-  
tam esse, quod quidem subsistentia in persona importat, & tamen  
uniri distincto ut ab ipso compleatur. In eadem enim re dependere  
& non dependere implicat. Hinc non est absurdum personam  
verbi assumere humanam naturam, quia id ita factum est, non ut  
terminetur ab ea, sed ut potius eam terminaret, ut loquitur Svarez.  
*Si objicias* I. Personam posse uniri cum accidentibus, ita ut etiam  
ab iis compleatur & perficiatur. R. Essentia perficitur, non subsi-  
sten-

stentia, persona quoad materiale, non formaliter & quoad subsistentiam, quod Personæ non obstat. Malè enim alii ut Poncius absolutè loquuntur, ac voce subsistendi omisâ dicunt absolutè Personam compleri non posse. II. Personæ divinæ uniuntur in essentia. At verò implicat quid per subsistentiam semel personatum ulterius personari, compleri ac perfici. R. dictum solùm fuit unam personam non compleri & perfici ab altera, exinde vero inferre non licet unam numero naturam ac essentiam infinitam ab una subsistentia exhauriri, ita ut alterius capax non sit. Concedo igitur unam personam ab altera persona ejusque subsistentia non compleri. Essentiam vero infinitam, quæ priori competit personæ & quasi substat ipsius personalitati, non posse vi suæ infinitatis etiam habere hypostasies plures, seu quasi substare pluribus ab iisque compleri (si licet hoc termino uti) negatur: Una quælibet igitur ex personis divinis meritò & sine repugnantia in Theologia perfecta persona dicitur, licet ratione essentiæ seu naturæ sint unū. Alterum seu posterius hujus §. membrū certū quod spectat quidem est, multos esse incommunicabilitatis modos, qui etiam personæ competant, verū non statim omnes in hac voce importantur & pro formali subsistentiæ effectu habendi sunt. Errant proinde omnes qui asserunt tales incommunicabilitates tanquam formales ac proprios subsistentiæ effectus, quique hanc definitionis vocem significatione quæ etiam naturæ in abstracto competit, explicant, quos inter est Svarez qui intelligit *per incommunicabilitatem eam, quæ substantia est incommunicabilis alteri tanquam subjecto inhesionis*, quem propterea etiam refutat Poncius, Oviedo, & alii. Similiter notandi sunt illi qui intelligunt incommunicabilitatem, quæ tollit quominus quid possit pluribus communicari, ut universale communicatur, ut malè putat Nobilis à Bebelno aliique Photinianorum.

§. 13. Restat 3. ut dicatur, quomodo *incommunicabilitas ingrediatur personæ definitionem, nempe non ut primus conceptus Personæ, quatenus formaliter consideratur*. Dico igitur incommunicabilitatem non esse primum conceptum, quia potest adhuc ipsius dari ratio à priori, quærenti scilicet cur persona sit incommunicabilis, rectè respondetur, quia est per se subsistens. Ut ita formalis ratio & primus formalis effectus personalitatis sit ipsa subsistentia, quæ

quæ etiam est positivum quid, ut postea dicetur. Ubi duo monenda.  
1. Substantiæ vocabulum à multis illis ambiguitatibus liberandum,  
*ita ut notet ultimum omnis existentia complementum, omnemque inde-*  
*pendentiam*, quapropter etiam Scholastici dicunt subsistentiam ter-  
minare naturam, quod nihil aliud est, quàm terminum seu finem  
perfectiõni imponere. 2. Non esse culpandam communem defi-  
nitionem, licet enim negativè proponatur, tamen potest in re ipsa  
importare positivum quid. Notum enim est, quomodò summæ  
perfectiõnes negativè explicentur & quidem necessariò vel *ob im-*  
*perfectiõnem intellectus*, qui non aliter, quàm removendo imper-  
fectiõnes eas concipit, vel *ob defectum vocum*, quæ ad affirmativum  
significandi modum non suppetunt. Nec etiam culpanda est, quòd  
per conceptum secundum tradatur, nam in re tam ardua descri-  
benda iis non incommodè sæpè utimur, quæ sunt notiora nobis.

§. 14. Sicut verò dictum est, subsistentiam quid positivi in En-  
titate ponere, ita etiam id probandum & defendendum est. Ante-  
quam autem directè hanc rem tangamus, necessarium erit præmit-  
tere, *an etiam sit quid ab ipsa natura seu subjecto distinctum!* Ubi  
quidem, quòd distingvatur, nemo facile negat, an vero illa distin-  
ctio sit realis, an vero rationis, de novo quæritur. Pro posteriori  
sententia allegari solent Durandus & Gandavensis, qui dixerunt  
suppositum à natura solâ ratione & per diversum concipiendi mo-  
dum distingvi, ut Ens & entitas. Sed hoc conjunctis viribus tota  
Scholasticorum condemnat cohors & quidem meritò. Quia enim,  
si sola ratione à natura distingvitur personalitas, necessariò sequi-  
tur, etiam assumptâ naturâ humanâ in *θανθρώπου* assumptam fuisse  
personam, sub periculo Nestorianismi hanc sententiam statuere  
potest nemo. Communis igitur sententia statuit in omni creatura  
distingvi realitèr personalitatem à subjecto, imò multi dicunt non  
posse dari creaturam, quæ subsistentiam realitèr cum sua essentia  
habeat eandem & identificatam, ita etiam ut ab ipso DEO non pos-  
sit separari. Quod vero postea in diversas iterum abeunt Scho-  
lastici sententias & an realis sit *an modalis illa inter naturam & sub-*  
*sistentiam distinctio*, solùm videtur lis esse de termino. Si enim  
*reale latius sumatur pro omni distinctiõne, ubi distincta separari pos-*  
*sunt* nemo qui distinctiõnem statuit ante dictam, negabit esse rea-  
lem,

lem, si vero *realis* sumatur prout *contradistinguitur* modali & prout  
ea est solum inter rem & rem eam distinctionem realem esse affir-  
mabit nemo. Quod vero concernit personas increatas communi-  
tè dicunt ibi subsistentiam & naturam divinam esse idem reali-  
tè idque propterea, quia aliàs in DEO daretur compositio, licet  
Scotus cum suis concedat distinctionem ante intellectum. Quod  
si opponas. 1. Si vero subsistentia in creaturis est quid extra essen-  
tiale realitè à natura distinctum, etiam in DEO ita se habebit, vel  
si in DEO est realitè idem, cur ea distinguntur in DEO? 2. Quæ-  
cunque sunt realiter idem uni tertio, illa etiam erunt realitè idem  
inter se, atqui Personæ in Divinis sunt realiter idem uni tertio  
nempe divinæ essentiæ, ergo etiam illæ inter se realiter idem  
erunt, quod tamen est confundere personas divinas; contra  
communem & veram sententiam. R. Ad 1. Falsa est consequentia.  
In DEO enim multa sunt aliâ quoad entitatem ratione quàm in  
creaturis: quis negaret DEUM agere, cum tamen actio in DEO sit  
ipsa ipsius essentia, in homine verò realiter distinctum accidens.  
Ad 2. Major negatur si de *tertio communicabili* sit sermo, prout su-  
prà eadem numero essentia infinita dicta fuit contrahibilis: Eam  
enim eandem numero propter infinitatem contrahi posse ipsum  
involvit miraculum, quod alias nullum esset, si prorsus eadem ra-  
tione se haberent personæ divinæ & humanæ. Vel respondetur  
cum recentioribus majorem valere de identitate, quæ etiam vir-  
tualem excludit distinctionem, quæ vero inter relationes persona-  
les negatur omninò. Alii dicunt inferri nihil aliud, quam in tan-  
tum illa duo esse idem, in quantum sunt idem illi tertio, & conse-  
quenter Personas esse idem respectu illius essentiæ.

§. 15. Præsupposito quod *personalitas* differat realitè à na-  
tura dicendum, jam *quid entitatis sit* vel ut loquuntur Scholastici  
*quid superaddat suppositum seu persona nature.* Scotus cum suis  
dicit eam esse nudam negationem, nempe dependentiæ ab alio.  
Alii dicunt esse *positivum quid.* Sed horum quidam volunt esse *pe-  
culiarem ac novam entitatem modo contradistinctam.* Communior  
sententia est esse modum. De singulis breviter. Fundamenta Sco-  
tistarum sunt 1. quod negatio independentiæ ad personam con-  
stituendam sufficiat, non opus ergo esse positivo 2. quod non pos-  
sit ostendi, quid sit, an materia an forma &c. 3. sequeretur ex sen-  
tentia

tentia contraria humanitatem imperfectè fuisse assumptam à verbo sine positivo quod nec assumserit nec assumere potuerit 4. quod natura humana non possit dimitti sine additamento novo 5. Quòd humanitas in verbo sit non naturalitèr, sed violentèr.

In contrarium argumentatur svarez. 1. absurdum esse tres personas divinitatis solis differre negationibus. Si vero in divinis personalitas sit quid positivum etiam fore in aliis, & quidem multò magis, quia creatura aptior sit, ad positivum quid recipiendum. 2. subsistentia & λόγος si esset negativa, non posse sustentari per eam humanitatem. Sequeretur 3. humanitatem in Persona Christi esse tam completam, quàm Personam Petri & Pauli, quia sola negatio rem non magis complet, quod verò communi consensu repugnat, nec minus intimæ unioni, quam Fides docet 4. Sequeretur suppositalitem non esse perfectionem. Hæ sunt rationes Svarezi quas recentiores urgent & recensent. Sed ad 1. dicit & excipit Poncius Scotista recentior, à personalitate divina ad humanam non valere consequentiam, cum dispar sit ratio, quia in divinis reperitur quid positivum uti docet fides, in humanis vero non. Verum ridicula est hæc disparitas, data per illud idem, quod est in quæstione. Est enim idem ac si dicat, disparem esse rationem, quia in divinis sit quid positivum, in humanis non, Svarez enim ex hoc voluit inferre, quod in humanis sive rebus creatis sit etiam quid positivum. Si verò in voce, repertum esse, collocet nervum, quasi in divinis reperta sit causa positivitatis, non item in humanis, dico pro Svarezio, ipsam identitatem rationis esse eandem, cur ob repertam positivitatem in divinis eandem colligamus in humanis. Causa ergo disparitatis est adferenda, quæ fiat ut in divinis negatio non idem præstet quod in humanis. Sed aliter excipit, non valere consequentiam, aliàs sequeretur sapientiam etiam in hominibus fore substantiam, quia talis in DEO est. Resp. Tamdiu valet consequentia, quamdiu id sine absurditate fieri potest, nam frustrà multiplicantur diversitates personalitatis, ubi una commodè haberi potest. Ad 2. nihil dicit. In 3. & 4. dicit negationem non esse formalitèr perfectionem, tamen præsuppositivè, præsuppositam scilicet in natura completa. Ad hoc videtur posse dici perfectionem præsuppositivam solùm non esse perfectionem

nem, sed aliquid solum ex quo cognoscitur perfectio. iam tunc  
existens, sequitur ergo quod subsistentia in re ipsa & verè perfectio  
non sit & naturæ prorsus nihil addat perfectionis realitèr seu à par-  
te rei, sed solum secundum nostrum concipiendi modum, quæ ne-  
gationem concipit exque ipsa veram perfectionem colligit. De-  
inde negatur quod negatio dependentiæ prout eam Scotistæ vi-  
dentur sumere sit perfectio præsuppositiva. *Omnis enim negatio  
per hoc sit perfectio & perfectionem arguit quando imperfectionem  
negat & tollit.* Dependentiæ vero quam tollit Scotistarum inde-  
pendentiæ est solum compositio simpliciter, non vero omnis com-  
positio cum altero est statim imperfectio. Aliàs quando Verbum  
cum humana natura constituit *θεωλογώπης* personam etiam eam  
haberet imperfectionem, quod absurdum. Deinde efficacitèr im-  
pugno, quod pura negatio nec subsistentia dici nec perfectio esse  
possit, quia ea chimæ quæ quoque competit, quam perfectam esse  
vel subsistentiam habere dixerit nemo.

§. 16. Ad rationes Scotisticas R. Ad I. Retorquendo quod  
etiam non opus sit distingvere subsistentias in positivas & negati-  
vas, hinc concessa una positiva etiam alteram positivam esse. Imò  
quomodo sit opus, probant rationes adductæ & aliæ plures quas  
vide sis apud Lorcam, de Lugo, Lychetum Vazquezium, Tellem,  
Aversam, Blasium à conceptione, Caramuelem &c. Ad II. Licet  
nec sit forma nec materia, dicimus quod sit modus. Ad III. Sufficit  
quod humana natura fuerit assumpta quoad omnia ea, quæ ad essen-  
tiam pertinent & naturam. Ad IV. Id non esse absurdum. Ad V.  
Quidam ut Arriaga concedunt totum, verum nondum video ne-  
cessitatem, quia non est contra naturam humanam terminari sub-  
sistentia aliena, ipsa quidem ad suam existentiam petit subsistenti-  
am, an vero illa sit propria an aliena, ad id videtur esse indifferens.

§. 17. Superest igitur ut personalitatem seu subsistentiam  
dicamus positivum quid, non quidem formam aliquam, quæ di-  
stinctam essentiam habeat extra id, cuius est subsistentia, sed potius  
in illo ipso modum. Nam quod sit modus, importat ipse conce-  
ptus personalitatis. Quodeunque enim concipitur, ut modificans  
existentiam, illud est modus. Atqui subsistentia concipitur ut mo-  
dificans existentiam ergo est modus. Minor probatur, quia rem  
non

non dicit existere, sed hoc certo modo, hac certâ ratione, nempe completè existere. Opponit Goslavius contra Kekerm. quod persona non sit modus, quia non sit relatio, quod probat quia persona non habeat genus relationis nempe substantiam. Verum respondetur ipsi 1. Non omnem modum statim esse relationem. 2. Si personam concretivè sumat, genus vel potius generis vicarium est substantia, sermo vero hîc est de abstractivè sumta persona.

§. 18. Sed insignis iterum hîc insurgit difficultas. Postquam enim de eo conventum est, quod subsistentia sit modus positivus, quærunt Scholastici ulterius an sit Entitas simplex, an vero composita. Est autem hæc difficultas de substantiis rerum materialium compositarum, quæ res cum habeant duplicem compositionem unam essentialem ex partibus essentialibus, ut materiâ & formâ, alteram integram ex partibus integralibus, ut est compositio hominis ex manu, pede, capite, ossibus, nervis, & aquæ ex pluribus guttis, quarum quælibet est aqua. Hinc quæritur, an similiter hujusmodi rerum subsistentia seu suppositalitas sit composita ex pluribus partibus essentialibus, quarum una per se immediatè afficiat unam partem istius naturæ, altera alteram. Sunt qui tam quoad partes integrales, quam essentielles affirmativam tenent, ut Svarez. Sed Vazquez in essentialibus negat, in integralibus concedit, quamvis particulares subsistentias dicendas neget, quæ ipsis respondent. Ut nostram hæc de re proponamus mentem, putamus multum hujus controversiæ esse litem de termino, quatenus nimirum vox subsistentiæ non semper sumitur, ut sumi debet, & ut supra fuit in hac & ad hanc materiam coarctata. Adverto etiam duplicem hujus quæstionis posse esse sensum 1. an ita compositi subsistentia respectu partium dividi possit, ut quælibet pars sit peculiaris subsistentia incompleta tamen. 2. An absolutè subsistentia consistat ex partibus, licet illarum singulæ non sint peculiæ subsistentiæ. Quoad priorem sensum dico. Si vox subsistentiæ propriè sumatur, prout est ultimum complementum rei seu naturæ completæ, manifestam implicat contradictionem subsistentia incompleta & subsistens incompletum, ex quo quidem capite etiam suprâ negatum fuit animam rationalem separatam subsistere, esset enim ultimum & non ultimum, esset completum & incompletum, esset communicabile

& incommunicabile. Quoad posteriorem partem, probabiliter videtur etiam subsistentiam non esse quid afficiens omnes totius partes, sed solum totum in ratione totius & quatenus est totum. Hinc etiam cum pars tollitur auri vel additur, non videtur terminus solum mutari, ut loquitur Svarez: sed potius nova subsistentia produci; & cum sal unitur aquæ, ipsius subsistentia subsistentiæ aquæ non additur sed perit, ut supra fuit dictum.

§. 19. Quærent etiam hîc autores an una subsistentia possit terminare duplicem naturam, & an una numero natura possit terminari à pluribus subsistentiis. Utrumque necessariò affirmandum est ob fidem, quæ prius docet in mysterio incarnationis, alterum in S.S. Trinitatis essentia. Ubi tamen distingvendum est inter essentiam finitam & infinitam. In infinitis posse unam essentiam tribus substare hypostasibus secus ac in finitis, causa est essentia infinitudo, & contra essentia creatæ finitudo, nequaquam vero personalitatum repugnantia. Quod si vero verum est, quod multi statuunt etiam creata subsistentia potest terminare duas naturas sicut quidem id monstrat exemplum ferri sustinentis ignis naturam, aquæ sustinentis salem. Vid. D. Jacob. Mart. de Trib. El. lib. 2. cap. 4. & 6.

§. 20. Exposito quomodo *substantia* competat naturæ & supposito, restat dicendum, quam necessariò ista requiratur ad naturam, an ita, ut *separari possit manente sine subsistentiâ naturâ*, an vero plane necessario, ita ut natura destituta subsistentiâ sine ea existere non possit. Sunt qui dicunt id non solum per potentiam DEI verum etiam naturaliter fieri posse. Verum quoad posteriorem partem, non videtur iis consentiendum esse, quoad priorem vero utique, cum subsistentia nec ad essentiam requiratur nec alio modo necessario. Hinc dicunt sicut materia potest conservari sine forma, quam etiam ut suam perfectionem petit; ita etiam naturam posse esse sine subsistentiæ perfectione. Poncius dicit hoc falsum esse fieri n. ut natura sine subsistentiâ operari possit. R. I. Negatur consequentia. Quid si quis naturam eo in casu diceret otiosam? 2. Non absurdum esse naturam sine subsistentia operari. Si enim anima  
ratio-

rationalis separata incompleta operatur sine subsistentia, multo magis completa natura anima & corpore constans, quia ea natura non solum animam includeret sed etiam adhuc aliam perfectionem. Laborat vero Poncius falsâ hypothese, nempe subsistentiæ formalem esse effectum, tribuere aptitudinem ad operandum. Hic vero pausa esto!



Quando personæ genium, ZABLERE, revelas,  
*Personam doctam* te simul esse probas.

*In laudem Pereximii Dn. Resp. ac hujus disputationis autoris doctissimi addebat*

PRÆSES.

---

*Ad Per-Eximium nec non singulari eruditionis  
Eminentia Præstantissimum,*

Dnm. JACOBUM ZABELERUM,  
Contubernalem suum suavissimum, DE PERSONA,  
eruditè disputantem.

**A**Rdua difficili crescit conamine Virtus:  
Commoda sed partæ nosse cuique licet.  
Scilicet eximiâ soboles de stirpe virescens,  
Vilibus involucris fidere fortè nequit.  
Sed quid adhæc? In Te meritò ZABLERE repertæ,  
Dixero, Virtutis dona nitere sacra.

Est

Est Virtutis opus tristes vitasse tenebras,  
Actandem doctis apparuisse Viris.  
Conatus laudo facilis, primosque labores  
Commendo, quâ par est pietate, DEO.  
Is coepisse dedit: Nec continuare recuset,  
Laus est coepisse; ast continuasse decus!

M. Casparus Graffius,  
Transylvanus.

---

PERSONÆ genium scrutando mente sagace,  
Perficis eximiæ molis & artis opus.  
Maecte bono studio! maecte his ingentibus ausis.  
Spondeo, non deerunt præmia larga brevi.

Συμπατριώτη dilecto  
L. M. Q. A.

Jona Henricius, Rosenbergâ  
Hungarus.

---

ABDITA PERSONÆ inquiris? Dii coepta secudent,  
Eveniant votis, ut potiora tibi.

*Hec gratulabundus adposuit prosperitèr*

David Günther, C. P. H.



Ung. VI 37


ULB Halle  
003 913 872 3




Sl.

V3 17







B.I.G.

Farbkarte #13



33

E JESU  
mirandæ!

CADEMICUM

ON A,

*compositæ* auspiciis,  
*Saxonia Ducum Athenæo*

NO,

LI PRÆSIDIO

RIDI ZAPFFII,

oris Extraordinarii,

reptoris sui co-

di,

*ioni submittit*

LABLERUS,

Ungarus.

OR.

*Maji.*

VÆ

phéo NISIANO.

o IdCLX.

*hab. III. 2113*

